



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An operum testimonium sufficiens fuerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

enim Deum in ordinem cogi impium sit, cum illius testimonium toti mundo praeponderet. Quod si de hominum testimonio agitur, proprium iustissime videtur rejici, eo quod unusquisque sibi faueat, nec contra se aliquis infesta & aduersa deponat, ut docet Cyprian. Ep. 69. ad Florentium.

VERSUS 34.

Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hac dico, ut salui sitis.

QUESTIO I.

An non accipiat ab homine testimonium?

§. 1. **M**issas Ioannes erat ut testimonium perhiberet de lumine, ideo & hoc testimonium dinumerat, quamuis ab homine daretur, id Christus accepit. Verum hic comparatio est: Non enim indigere se alieno testimonio, opera euidentius testificari. Ioannis testimonium ipsorum causa datum.

§. 2. Protestatio illa non efficit, quo minus auctoritas infallibilis, qua in controuersis utimur, non sit etiam humana. Nam partim diuina est partim humana, ab auctore homini inspirata, & per hominem proposita. Hic Christus apostolos testes esse voluit, ipsos homines, sed tamen diuino testimonio instructos. Quare Anabaptistae & Phanatici à vero longe aberrant, dum diuinas reuelationes ita iactant, ut hominum & scripturarum magisteria auferantur. Hominum enim opera docere Deus statuit homines, ut qui eos audirent, Deum audire dicerentur. Sic Malach. 2. Ephel. 4. Luc. 2. Iam olim entusiasmus ille invaluit, ut queritur Iren. lib. 3. cap. 2. Tertull. de praescript. multis locis.

Testimonia
diuina per
homines
dantur.

VERSUS 35.

Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.

QUESTIO I.

Quomodo ad horam in luce Ioannis exultarunt?

§. 1. **I**oannis testimonium commendat; Erat enim lucerna lucens & ardens, per tenebras ad vitam deducens. Iudaei magno primum gaudio eum exceperunt, adeo ut Messiam putarent, deinde vero de Christo eius testimonium repudiauerunt, acerbique infectati sunt, adeo ut dicerent: *Demonium habet.* Receperunt Ioannem in speciem cum insignem ad eum legationem mitterent, sed cum eorum vitia tangeret, resiliabant. Tantum ac tam sanctum apparuisse prophetam magnae sibi gloriae ducebant, eumque Messiam fore sperabant, à quo omnes locupletarentur, totoque orbe dominarentur, eum vero ad vitae emendationem verba fieri audirent, & descendas cupiditates summo praecone odio infectati sunt. Nam virtutum commendatione, vitiorumque manifestatione reprobi irritantur.

Commendatione Ioannis eorum proteritiam, insolentiamque accusat. Deus lucernam tanquam paterfamilias bonus accendit, ut sequerentur, illi lucem aspernati sunt, atque in ea ad breue tempus exultant. Caluinus ait: *proteruē saltare, quam sine progressu in ea ambulando progredi maluisse, addit vero: Ideo dicit ad tempus, vel ad horam: qua voce eorum stulti-*

Ioannē re-
pudiauerunt.

tiam perstringit, quod putarint fluxa & euanida proterua aeternam Dei lucem posse extinguere. Ita hodie Papista, quotquot Deus pios doctores Ecclesiae suae tanquam accensa lumina dedit, in contrarium usum trahunt, quasi illis propofitum sit oculos lucis aspectu sibi perstringere. Nec modo lucernis abutuntur ad suffocandum Dei lucem, sed etiam in tenebris saepe exultant, ut cum aduersus puram Euangelij doctrinam insulsis rabularum suorum commentis superbiunt.]

Pios doctores à Deo datos agnoscimus omnes. Syrus habet *דבש חיה* *debschhecharun*, glorificare vos: de tanto enim propheta magnifice gloriabantur, eosque non minus insigni beneficio, quam solem nobis donatum dicimus, at quos Caluinus pro doctoribus habet, Zwingleum, Bullingerum, Bucerum, & ceterosque pestes, nos apostatas esse scimus, de fumo abyssi progressos obscurare orbem terrarum. Nec rabularum commentis superbumus, sed martyrum sanctorum, patrumque, & vniuersae antiquitatis testimonio doctrinam nostram confirmari merito gloriamur, aduersus profanas haereseon nouitates praescribimus, nec timemus ne regni caelorum hereditatem non adaequamus, si eadem via, qua martyres ac confessores ite-

VERSUS 36.

Ego autem habeo testimonium maius Ioanne: Opera enim quae dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio testimonium perhibent de me, quia pater misit me.

QUESTIO I.

An operum testimonium sufficiens fuerit?

§. 1. **M**agnum erat testimonium Ioannis, ut quo nemo maior inter natos mulierum surrexerat: sed aliud testimonium habere se ait, quod maius sit Ioanne, testificante scilicet, non enim persona Ioannis & Christi, sed testimonium Ioannis, sed Ioannes testis cum operibus testificantibus comparatur, ideo dicitur *משה ואהרן וכל בני ישראל*, Syrus *כח* *Chach* *Rabbo men lauchanan*, maior praeter Ioannem; nec opus correctione, ut interponatur *et* *Ioannis* testimonio Ioannis, ut Beza in sua versione fecit. Nam neque id Graecus textus habet, neque Syrus, imo ne Tremellius quidem & Iunius Caluiniani aliter vertunt, quam nosler. Hoc igitur testimonium sunt ipsa opera adeo magna, & illustria, ut quamuis contumaces animos flecterentque in veritatis agnitionem posset. Sed illa obstratio, & voluntaria occaecatio oculorum, qua, & Christum & Ioannem repudiauerunt, ita animos obstruxit, ut nulla parte gratiae diuinae adiutum patefacerent.

§. 2. Questionem Caluinus proponit. *An ad probandum quantum satis est, Christum esse filium Dei valent miracula?* Respondet ille: *Signa prophetarum non vltra se protendisse, quam ut prophetas ostenderent, Dei seruos esse, qui auctoritatem aliter obtinere non poterant, sed Deus filium suum aliter extollere voluit.*

Obscure rem inuoluit, & tamen suam haeresin destruit. Dicendum enim est: miracula ad id confirmandum valere, quod credi sibi postulant illi, qui miracula faciunt. Prophetarum Dei seruos, à Deo missos esse miraculis probant. Christus Dei filium se esse professus est, idcirco cum eum in finem miracula pararet, ut hoc crederetur, sufficientia fuerunt. Nunquam

quam enim mendacium miraculis Deus approbat. Atque hoc fundamentum miraculorum efficacia nititur. Quod si prophetæ quamvis sanctissimi viderent, line miraculis obtinere auctoritatem non potuerunt, qua fronte nobis extraordinariæ missionis fidem Calvinus & Beza obtrudere conantur, quos sceleratissimæ vitæ notis infames, publicis iudiciis conuictos, & damnatos constat ab Ecclesia ignominia impatentia, secessionem fecisse? Qua ratione fidem facere nobis poterunt, quos nihil nisi transfugij crimen, contra castra, quæ deseruerunt, incitavit? Christus miraculis Iudæos fecit inexcusabiles, ut l. 9. demonstrat Hilari.

VERSUS 37.

Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me neque vocem eius unquam audistis neque speciem eius vidistis.

QVÆSTIO I.

An non audierint Iudæi vocem patris, nec speciem viderint?

§. 1. **V**ocem Dei aliquando populus, crebro prophetæ ut Isaïas, Daniel, imprimis Moyses, audierunt. Quomodo ergo vocem eius non audierunt, nec speciem viderunt? Duplex responsio. Prima; cum Christus dixisset: patrem sibi testimonium dare: Iudæos tacita cogitatione obiecit, cupere se vocem patris audire, patrem videre. Ita & Philippus: *ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* His dominus respondet, non audiri vocem patris, nec videri eius speciem, plane esse inaspectabilem Deum, se missum esse, ut verbum patris annuntiaret. Hanc veram esse ostendit Cyrillus, cum ait, in eo errore fuisse Iudæos, ut Dei naturam visibilem esse existimarent. Non igitur expectandum pater spei exhiberetur. Altera interpretatio priori omnino dissimilis est. Nō audivisse Iudæos vocem atque oracula prophetarum, nec pro voce Dei agnovisse, nec in visis illis Dei imaginibus creatorem spectasse, verum ad idola declinasse. Verum prior interpretatio ad rem præsentem facit. Patrem enim prophetæ alicuius hominis, & aspe stabilis, hominem, aut certe corporatum aliquid esse arbitrabantur, atque ita optime omnia coherent.

Athanasius oratione 4. contra Arianos de verbo interpretatur. Non audisse eos verbum patris aliquando, quod nunc illis loquatur:

VERSUS 38.

Et verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

QVÆSTIO I.

Cur non habeant verbum Dei in ipsis manens?

§. 1. **V**erbum in ipsis manens eos habere negat, quia non credunt in eum, quem Deus misit. Verbum manens seu ut Syrus, *mekauio* vocat, doctrinam legis, quam licet habere viderentur, ignorabant, quod Christum qui scopus erat, atque anima legis repudiarent. Verba Dei auribus combibebant, in animam atque effectum non admittabant, factis non exprimebant, sed vitis occupati rejiciebant, adeo ut etiam credere desinerent. Itaque vera ac genuina intelligentia destituti ex lege non nisi mortem, ac damnationem suam consequebantur.

§. 2. Magno studio in sacrarum literarum cognitionem incumbabant, per omnia sabbata in synagogis scripturas legebant, interpretabantur, domi editebant, in illis etiam Christum querebant; aude enim Messiam expectabant; nec proficiebant tamen plerique, quod Messiam suis vitis idoneum mente sibi & cogitatione effingerent. Itaque mortuam duntaxat literam arripiebant, vero sensu ac intelligentia carebant. Scriptura porro licet saluti sit, cum tamen ad impios sensus detorquetur, summæ nequitia occasio nem parit, quantumvis igitur scripturas iactent heretici, non tamen habent Dei verbum in se manens, sed vel stylo vel sensu adulteratum, vel utroque. Et veteres quidem Iudæorum doctores inuolucris quibusdā scripturas involuebant, & res factas figuris adumbrabant, eas cum recentiores non intelligerent, in hostiles blasphemias delapsi sunt. Exemplum refert Galatinus l. 1. ex capitulis R. Eleazar, in libro Zoar & R. Recanad super c. 4. Genesios. Habebant tamen illi multas fatuas traditiones, & impias, quas vocabant *ספרי חסידים* *Ticun sopherim* *ספרי חסידים* *Traditiones* *correctiones* scribarum. Quarum magna pars à R. Vziele, & Hillele profecta est, de quibus prolixè Galatinus l. 1. c. 8.

§. 3. Notavit S. Chrysostomus veteres hereticos pari modo iactare scripturas, sed esse veritatis exortes non minus, quam ipsos Iudæos; quod vel maxime in nostros cōuenit Nouatores, quorum omne in depravandis & ad suos errores detorquendis scripturis studium vertitur, cum interea inter se gravissime dissentiant, non de sensu modo, sed etiam lectione, sunt versiones Bezae, Iunij Tremellij, Castalionis, aliæ ex Galatinus, illas Angli corruptissimas esse conqueuntur, ideo iam pridem novam moluntur. Ita Robertus Genillis in præfatione Alberici patris de latinitate veteris versionis male accusata. *Amas*, (inquit ad Ioannem Hensonum) *reterem versionem, & in Anglica versione, nunc cum aliis iussu regis versari.* Quin & Gregorius Martini versionem hæreticorum insecatur, edito libro, cui titulum dedit. *Detectio corruptelarum hæreticarum in versionibus publice editis à Tyndallo, & ab aliis sectariis.* Nullo igitur modo habent verbum Dei in se manens, sed mutilum, interpolatum, male intellectum.

VERSUS 39.

Scrutamini scripturas quia vos putatis in ipsis vitam aternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.

QVÆSTIO I.

Quomodo scrutanda scripturæ?

§. 1. **T**am Græcum verbum *ἐρυνάω*, quam latinum scrutamini ambiguum est, potest enim esse indicatiui modi, quo Iudæorum industria in studio sacrarum literarum indicetur. Vel imperatiui, ut ad hoc studium sit exhortatio.

Pleriq; tamen indicatiui esse interpretantur, ita tamen, ut non studium eorū Christus reprehendere putetur, sed q; scrutando ad thesaurum, quem exoptant, suo vitio nō perueniant. Stuporem ergo, & cæcitatem exprobat, quot toros dies in scripturarū excitatione consumant, nec proficiant tamen, nec in illis Christum agnoscant. Et sane admiranda est hodieq; Iudæorum in scutatione scripturarū & laboriosa diligentia, nō versus modo, sed literas omnes in numero habet, quæ res circa Domini tempora cœpisse videtur, & tandem ad insanum Cabbalistarum studium pervenisse, de quo